



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Arguit Scotus contra prædictam opinionem ex comparatione reali cum
relationibus. c. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Personas diuinas constitui, & distinguere solum relationibus verior sententia est.

S. Thom.
Caret.
Ferr.
Gabriel.
Dura.
Cyprian.
Marfil.
Canariensis.
Thomista.

Relictis aliorum sententiis, ea solum verior superesse videtur, quam tradunt S. Thom. & Caiet. in hoc art. Ferrar. 3. contra gent. c. 6. Durand. in 1. d. 26. q. 1. num. 14. Gabr. q. 1. Capr. q. 1. art. 1. Marfil. in 1. q. 9. artic. 1. dub. 1. & 2. Canar. 3. parte commentarij. & alij recentiores Thomista, nempe personas diuinas sola relatione posse constitui, & distinguere. Relationem vero intelligunt in facto esse, non per modum viae & originis, vt contra Bonau. probatum est. Et sane principium distinctionis debere esse relationem, ex doctrina Patrum manifeste ostendimus c. 2. cumque id non debeat intelligi de relationibus per modum originis, vt contra Bonauent. dictum est, consequitur personas distinguere relationibus, & relationes esse principium distinctionis. Nonnulli autem Thomista inde etiam colligunt, principium constituens debere esse relationem, quia idem debeat esse principium constitutionis, & distinctionis: falluntur tamen; nam, vt ostendimus disp. 1. 47. in diuinis personis non est idem principium praesertim S. Thom. qui docet, Spiritum sanctum non distinguendum à filio, nisi ab eo procederet: hinc enim fit, vt principium distinctionis in filio formaliter non sit filio, sed spiratio, vt ibidem probauimus; cum tamen filio sit principium constituens.

Hæc igitur sententia, quam vt verior sumus fecerit, solum asserit, principium constituens & distinguens, siue idem sit, siue diuersum: non posse esse absolutum, nec originem, sed relationem in facto esse. De origine iam satis ostendimus contra Bonau. de absoluto vero sic probatur ex doctrina Patrum, quos c. 2. commemorauimus, diuinis personis omnia sunt communia præter relationes: ergo omne absolutum est commune: sed per id quod commune est omnibus, nec potest vna persona à duabus, nec duæ ab vna distinguere: ergo per absolutum non possunt personæ villo modo distinguere: quare principium distinctionis debet esse relatio, nā origo alia ratione non potest esse, vt diximus.

De constituente vero principio, de quo Patres non loquuntur, ex eadem ipsorum doctrina, hæc sancti Thom. sententia sic deducitur. Principium proprium, quod constituit aliquid, non potest esse id, quod ipsi commune est cum alijs; sed, id, quod sibi proprium est: hoc enim determinat id, quod est commune ad esse talis, ac proinde in ratione talis constitui dicitur. Sed quidquid est absolutum, est commune omnibus personis, vt ex Patribus habemus, & siquid est peculiare alicui personæ, est relatio: ergo relatio, non absolutum, debet esse principium. Ex quo sequitur, ideo principium constituens filium esse filiationem, non spirationem, vt diximus disp. illa 147. c. 7. quia illa est propria filio: at vero filiationem non distinguere filium à reliquis personis, sed à solo Patre; quia non opponitur Spiritui sancto, sed soli Patri: distinctio autem consequitur oppositionem, vt ibidem notauimus: ergo de ratione principij constituentis est, esse proprium solius personæ constitutæ: de ratione vero distinguens non est esse proprium, sed est oppositio: nam principium distinguens potest esse duabus personis commune.

Superest solum, vt aduertamus circa textum S. Tho. ideo cum dixisse, personas distinguere per relationes, & per origines; principaliter tam per relationes, non quia vtique sint principia formalia distinctionis, & relatio sit principalis; sed quia etiam origines, vt viae pertinent ad distinctionem personæ quatenus à tali & tali origine, vt productione, exit persona distincta, non quia origo distinguit vt forma; de quo principio formalis distinctionis est nunc controuersia. Arque idcirco in q. 8. de potentia art. 3. dixit rem aliquam posse distinguere aliquo, vt forma, & aliquo vt origine, & colligitur similiter: & id quod distinguit vt forma, principaliter distinguere, quam id, quod distinguit vt via, & productio: ideoque dixit principaliter distinguere personas per relationes, quam per origines.

CAPVT VI.

Arguit Scotus contra prædictam opinionem ex comparatione relationis cum relatione.

Hanc sententiam S. Tho. ex quatuor capitulis impugnatur Scot. simulque iuam confirmatur. Primum est ex comparatione relationis cum relatione. Secundum est ex comparatione originis cum relationibus. Tertium est ex ratione constitutionis. Quartum ab autoritate. In hoc cap. afferemus argumenta ex primo medio, in sequenti et tertio medio: nam quæ ex secundo medio desunt, difficiliora sunt peculiaremque possulant calculum: ideo seq. disp. circa illa instituemus.

Verum, antequam ad primum veniamus: notemus ceteris, quæ quarto loco ab autoritate desunt, quod leuioia sint, ad illud tantum respondemus, quod adducit ex illo Prou. 30. vbi Salomon de deo loquens interrogat. *Quid nomen eius?* & quod nomen filij eius, si noster: si autem secunda persona sola proprietate filiationis constitueretur, non interrogaret. *Quid nomen filij eius?* Id enim satis notum erat. Nonnulli Hebræorum conatur hunc locum ita interpretari, vt non loquatur de filio Dei, qui est secundum Trinitatem persona: quos optime reuincit Iansenius in eum locum. Ad illud igitur, ubi sermonem esse de secunda persona, facile occurrat obiectioni Scoti: ubi enim non querit Salomon de alio magis proprio nomine filij eius, sed de nomine, quod adæquate, & ex æque explicet naturam & proprietatem filij Dei: & quia inaffabile hominibus est, qualecumque illud sit siue relationum, siue absolutum, ideo dicitur, si noster, quod si dicat, non inuenies tale nomen, eo quod illud sit super omne nomen, quæ de nominibus Dei tradidimus disp. 57. c. 3. id autem voluisse nobis significare Scripturam, patet, quia non solum ibi interrogat de nomine filij, sed etiam de nomine ipsius Dei; cum ait, *Quid nomen eius?* Mala autem nomina propria Dei Hebræis erant, de inter alia illud Tetragrammaton, ceteris magis accommodatum: nihilominus recte interrogat de nomine, quod illius essentiam nobis exponere valeat: quia nullum tale est, vt ita ostendat Deus, & filium eius super omne nomen esse.

Ceterum ex illo primo c. arguit primo Scotus hoc modo. Id, quod refertur, est prius relationibus, quia res prius est, quam referatur: atque in Deo sententia non refertur, sed persona: ergo persona prius est, quam relatio. Quo modo ergo ipsa relatio substantialiter constitui potest? Quod si relatio non constituitur, fit vt antea absolute, & ad se sit constituta.

constituta. Respondeo in relationibus creatis verum esse id, quod Scotus assumit in maiori: at in diuinis est alia ratio. Cum enim illae sint substantialiter, & subsistentes: ipsae ita substantialiter complectuntur essentia, & determinatur ad rationem personae, ut per eam substantialiter constituantur persona, simulque substantialiter ad aliam referatur; dum ergo constituitur, hoc ipso formaliter refertur, & contra.

Arguit secundo hac ratione. Omne compositum supponit partes componentes, & unionem ipsarum, etiam si sit compositum per accidens: homo enim supponit corpus, & animam, & eorum unionem, ut aliquid prius, & albi supponit corpus, & albedinem, item eorum unionem: ergo relatum supponit rem, quae refertur & relationem, & unionem utriusque: id autem quod refertur in diuinis est persona, ergo prius est persona, quam refertur.

Ad argumentum respondeo, eo solum probari essentiam & relationem quodammodo supponi, ut aliquid prius, personae: non tamen prius esse personam, quam personam relatum. Quia persona relata non resultat ex persona, & relatione, quod ipse Scotus probare deberet, & non gratis assumere: sed ex essentia & relatione: eo quod eo ipso constituitur persona ut persona, & ut relata, ut proxime dicebamus. Porro quamuis essentia supponatur, ut prius, ipsa tamen relatio non potest supponi: quia cum relatio non intelligatur esse, nisi in aliquo, & mox ut intelligitur in essentia, intelligatur persona, non potest prius intelligi relatio habens, quam intelligatur persona. Deinde etiam in compositis ex substantia, & formis accidentariis, quae semper intelliguntur inesse, & earum esse est inesse, non prius intelligitur forma inexistens, quam intelligatur compositum ex subiecto, & forma illa accidentaria, ut manifestum est.

Tertio arguit Scotus, quia relatum formaliter refertur ad absolutum: ergo pater in diuinis refertur ad filium secundum esse absolutum ipsius: prius ergo est persona per absolutam proprietatem, quam sit filius. Verum de hoc argumento fusius tractabitur in disp. seq.

Quarto arguit. Omnis relatio realis supponit extrema realiter distincta, & constituta: ergo & diuina relatio paternitatis supponit extrema constituta: ac proinde ipsa non constituit, nec distinguit personam. Sed eodem modo respondetur, hoc solum proprium esse relationis accidentariae: at vero substantialis relatio, quae asserti suppositum, ipsa quoque distinguere potest extrema, & constituit. Tadem urget nos Scot. hoc modo, Relatio, ut relatio, est ad aliud: ergo vel paternitas est ad aliud distinctum filiatione, vel aliquo alio: si ad aliud sola filiatione distinctum, ergo si aliquis vellet probare, in Deo non esse relationem realem, hoc modo deberet probare. Haec relatio non est ad aliud reale: ergo non est realis: esset autem manifesta peritio principij, quia perinde esset dicere, non est ad aliud reale, atque dicere, haec relatio non habet ad aliam relationem realem oppositam. Inde autem non recte quis inferret, Ergo non est realis, quia in suo argumento videretur, petere principium. Verum obiectio Scoti friuola est, quia cum aliquis sic assumeret, haec relatio non est ad aliud, non peteret principij, quia solum diceret, illam relationem non esse ad aliud distinctum realiter, siue per relationem oppositam, siue alio modo. Et quam-

diceret distinctum realiter per relationem oppositam, non peteret principium, sed recte argueret, ut patet.

CAPVT VI.

Argumenta Scoti petita ex ratione principij constituentis.

Ex tertio medio, quod praecedenti cap. proposuimus, primum sic arguit Scot. Principio constituenti repugnat diuidi in plura, veluti principio constituenti specie repugnat diuidi in plures species, quia principium constituens reddit rem omnino incommunicabilem, eo modo quo ipsam constituit: ergo & principio constituenti personam repugnabit pluribus communicari: siquidem facit se toto rem incommunicabilem: paternitas autem & relatio quaecunque in diuinis communicabilis est naturae suae: est enim quaedam quiditas relatiua, omnis autem quiditas communicabilis est: ergo nequit esse principium constituens personam. Dicat aliquis, relationem quidem ex se communicari posse, ab essentia tamen habere incommunicabilitatem. Hoc tamen est manifeste falsum, nam spiratio, quae ex se communicari potest, non redditur incommunicabilis ab essentia: ergo eadem ratio erit de aliis relationibus, praeteritum de opposita relatione, quae est spiratio. Tum etiam quando duo aliquid constituunt, neutrum illorum accipit ab alio modum illius, quem habet in constitutione: veluti homo collat materiam ut potentia, & forma ut actu: & tamen nec forma accipit a materia potentia, nec materia a forma ratione actus, sed ipsa forma ut actu constituitur. Adhuc, quia rationale constituit hominem, ut simplicissimus conceptus, & vltimus terminus illius, talis naturae est, ut quaecunque impossibili hypothese facta nihilominus maneat semper indiuisibilis, si totus conceptus illius maneat. Veluti, si supponamus rationale posse aliquid de nihilo creare, aut esse differentiam caloris, rationale incommunicabile manet pluribus speciebus: at si supponamus priorem processionem in Deo esse per voluntatem, & posteriorem per intellectum, manente integro conceptu paternitatis, ut paternitas est, illa esset in duobus suppositis, in patre nimirum, & Spiritu sancto, & uterque esset pater filij: ergo signum est paternitatem sub ratione paternitatis non esse incommunicabilem.

Respondeo, paternitatem in vniuersum, ut a nobis nominatur, esse quiditatem quandam, quae communicari potest: vniuersae enim comprehendimus tam creatam, quam incretam: creata autem communicari potest: at vero paternitas diuina, etiam si concipiatur, ut quiditas quaedam est, suapte natura nequit communicari: id quod non habet ab essentia, sed a se ipsa formaliter: tamen se ipsa idem sic cum essentia. Cum vero eam distinguimus ab essentia, concipimus illam ut modum essentiae particularem, qui reddit essentiam incommunicabilem; facta vero ea hypothese, quam dicit Scotus, esset sane paternitas in duabus personis, sicut nunc est spiratio; & non esset proprietas personalis vltima, quia communis esset, sicut nunc spiratio non est proprietas: esset tamen tunc alia paternitas, quam nunc est. Ea enim, quae nunc est, suapte natura est relatio vnius ad vnum; veluti si Spiritus sanctus a Patre solo procederet, actiua spiratio alterius esset proprietatis, quam nunc est. Nos autem loquimur de paternitate, quae de facto Deo conuenit;

Primum arg. ad probandum relationem non esse primum constituens personam.

29.

Respondetur ad argum.

30.